

Wegle, Modrussie Comitum, proposuit eo modo: Quod quamvis olim Magnus Joannes Comes Segnie, Wegle et Modrussie, avus videlicet ipsorum Banorum et Comitum, mediantibus literis et instrumentis efficacibus, superinde confectis, et coram nostra maiestate in specie productis, inter cetera, in eisdem litteris et instrumentis plenius contenta, triginta duo Millia florenorum auri puri et iusti ponderis in dotem et ratione dotis predictae quondam domine Elizabeth, matris ipsius Comitum Vlrice, sponte et liberaliter ordinasset, disposuisset et promississet, pro quibus quidem triginta duobus Millibus florenorum auri medietatem insule Wegle, nec non Castra Tersath, Bukarij et Berberij vocata, cum omnibus iuribus et proventibus eorum, nec non villam Birchopag. ac vineam in Vinodolio, penes mare, prope villam dictam Selca sitam, ad habendum et vsufruendum, quemadmodum predictus quondam Comes Stephanus, pater eiusdem domine Elisabeth possedisset et tenuisset, nomine et titulo pignoris obligasset, eademque domina Elizabeth, mater ipsius Comitum Vlrice, ipsam medietatem insule simul cum predictis Castris et eorum pertinentijs, ratione sue dotis, titulo iusti pignoris, usque vite sue tempora pacifice et absque contradictione tenuisset, possedisset, et vtilitates, emolumenta et proventus eorum percepisset et percipi fecisset. Tamen eadem domina Elizabeth, provt domino placuisset, ab hac vita sublata, mox prefatus quondam Comes Nicolaus, pater videlicet predictorum Banorum et Comitum Johannis, Stephani, Nicolai, Bartholomei, Dwymy, Sigismundi, Andree, Ivani, antefatam medietatem insule Wegle, nec non Castra prenomina, villamque Birchopag ac vineam supradictas, a manibus ipsius Comitum Vlrice, suorumque officialium, nulla sibi et predictis triginta duobus Millibus florenorum auri, in eum iure materno devolutis, satisfactione impensa, potentialiter occupasset, et occupatas per nonnulla tempora detinisset. Nuncque prenominati Bani et Comites, filii ipsius quondam Comitum Nicolai, huiusmodi medietatem ipsius insule Wegle, supradictam, simul cum certa parte aliorum Jurium suorum matrum occupatiue et indebite detinerent, prouentusque et vtilitates ac obventiones ad summam ad minus usque decem Millium florenorum ipsi Comiti Vlrice provenire debentium se extendentes, a principio occupationis usque in presens tempus de eisdem extrahendo et percipiendo; supplican. idem Comes Vlrice, super premissis ex parte prefatorum Banorum et Comitum Segnie de iuris et iusticie remedio prouideri; cumque nos hijs auditis et perceptis, per prefatos Johannem et Stephanum Banos ac alios Comites fratres eorum prenotatos, vna cum dictis Prelatis et Baronibus nostris, rationi huiusmodi occupationis et detencionis dicte medietatis insule Wegle aliorumque premissorum, in nostra ac dictorum Prelatorum ac Baronum nostrorum presencia proponi et allegari petuissemus et audire voluissemus, ipsis siquidem Banis et Comitibus Segnie premissa non abnegantibus, diuersisque inter partes vtrasque per certos Prelatos et Barones nostros, per Maiestatem nostram ad id deputatos, colloquijs seu interlocutionibus prehabitis, tandem prefati Comes Vlrice personaliter hinc, inde vero prenominati Johannes et Stephanus Bani, Comitesque Nicolaus, Bartholomeus, Dwymus, Sigismundus, Andreas et Iwanus, pro se similiter personaliter et pro Martino absente fratre eorum vterino, totum onus et grauamen eiusdem in omnibus et singulis supra et infra scriptis in se ipsos assumptum, se vtrumque sponte et voluntarie uiue uocis ipsorum confessione oretenus facta, in et cum totali causa premissa, omnibusque et singulis eiusdem cause dependencijs, con-